



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Verus Ecclesiasticus Vocationem suam cognoscendi Avidus, Eidemqve Correspondendi Studiosus

Mansi, Giuseppe

Francofurti ad Mœnum, 1693

Cap. XIV. Agitur de peccato omissionis, summe pernicioso in Ecclesia, &
gravissimo in Ecclesiasticis

urn:nbn:de:hbz:466:1-38106

aliis supra quæ prætermitto, deduco hanc consequentiam) *quantò magis Sacerdotibus Evangelicæ legis congruit scientia?*

Caput Decimum Quartum.

Agitur de peccato Omissionis, summè pernicioso in Ecclesia, & gravissimo in Ecclesiasticis.

O mni viâ modoque studet antiquus infernalis serpens, nos inficere peccatis omissionis, optimè sciens illa parum adverti, ac proinde minus quoque caveri, ex quo tandem sequitur irreparabile damnum nostrum, summumq; disciplinæ Ecclesiasticæ dispendium: *Tigna domorum nostrarû cedrina*, dicit sponsa in Canticis c. 1. v. 1. quæ figura fuit Ecclesiæ; nihilominus cedrinæ istæ trabes putrescent, si per negligentiam nostram non arceatur, ac avertatur aqua cadentis stillicidii: *In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus*, ita scriptum reperimus in Ecclesiaste, c. 10. v. 20. quæ verba magnus Hugo Purpuratus explicans in sensu mystico, confundens, ac redarguens præteritas nostras negligentias, infigne pro futura

S 6 caute-

cautela subministrat documentum : *Domus*
est Ecclesia; contignatio, qua summum locum in
edificio domus obtinet, glaustralis vita eminenti-
tiam, aut Cleri altitudinem significat; sed utraq;
contignatio pigritya Prælatorum, uel etiam pro-
pria, penè corrui. Si exigua una perfustillatio
fuisse reparata; id est, si suis in germinibus ac
principiis suppressi fuissent abusus, ac sublata,
eum modestia aliqua; ac moderamine scanda-
la, non tam latè potuissent serpere, sæpissime
que conniventia ac dissimulatio levis culpe
in initio, integras civitates ac populos in cul-
nas irreparabiles egit præcipites.

— *Qui parvis obuius ibit;*
Is nunquam præceps scelera in gravio-
ra feretur. Naz. c. 3. ad virg.

Hocerat, quod acerbissimas lachrymas eli-
 cuit ex oculis Prælati zelantissimi, Ivonis Ep-
 piscopi Carnotensis, qui impatiens quodam-
 modo, nec amplius videre sustinens tot ter-
 rorumq; animarum periculum, ex pura Pæni-
 tentiarum negligentia, omissione, ac desidia, resolu-
 it suffragium petere à suo calamo, suumque
 lenire dolorem, informando Paschalem
 Secundam, tunc temporis Caput Ecclesiæ
 quatenus tam evidenti damno, maloque

tam praesentaneo, opem ac medelam ferre dignaretur, Ep. 53. *Quoniam apud nos quotidie videmus Ecclesiam ruentem, & nullam, aut penè nullam manum erigentem, Charitas CHRISTI urget nos, ut dolorem cordis nostri, quo pro morte, & morbis ovium Christi cruciamur, Paternitati vestrae revelemus, interest enim capiti membrorum imbecillitatibus providere. Hoc unum scio, quod Sacerdos in aeternum Christus monuerit, malignum ad vigilare semper, ut ad unius aut alterius somnolentiam aut oscitantiam spargere possit ac feminare sua zizania.*

Refert R. P. Franciscus Escriva, in libro suo de variis hominum statibus, idioma Hispanico impresso, quod dum in Hispaniis adesset cuidam Episcopo, hicque dixisset, se non habere ullum conscientiae remorsum, circa ea, quae manus, officiumque suum concernerent, Patrem eundem replicasse: *Scio fuisse Episcopos, qui magis timebant, erantque solliciti de omissionibus, quam commissionibus.* Tacuit adhuc aliquamdiu Bonus Praelatus, dumque se, super auditis nonnihil reflexisset, discursum habitum repetendo dixit: *Habes causam, imo verè habes causam, Reverende Pater, hac dicendi: multa & gravia possunt esse peccata*

omissionis alicujus Episcopi: dum enim somnolenter suum facit officium, venit Diabolus, et in agro Ecclesie sibi commissa, seminat zizania. Nihil amplius studet desideratque inimicus, quam ut Prælatum, aliosque animarum habentes curam, in soporem agat, scit enim, vigilantibus illis, fraudes suas occultas nullum sortiri effectum, cuncta in cassum cadere, ac quidquid præterdit, eludit. Scit Rex Assyrius, non posse se oves decipere (moraliter intelligit Dæmonem) nisi pastores antea consopierit, scripsit S. Hieronymus super caput quartum Nahum. Propterea non sufficiebat Apostolo inculcare iis, qui curam animarum gerunt, ut vigilarent, idque exprimere per simplex verbum *Heb. 13. v. 17. vigilant*, sed verbum compositum adhibuit, magis expressivum oneris, ac periculi imminentis, dixitque, *pervigilant. Speculatorem dedi te domui Israel*, dixit olim DEUS Ezechieli sacerdoti, *cap. 3. v. 17.* de quibus verbis, alibi sæpius fuimus locuti. Non absq; mysterio Ecclesia hæc militans nominatur, nã sicut in arte militari omnis error omissionis potest esse adeo damnosus, ita ut ex aliqua negligentia in regimine commissa, sæpius oriatur detrimentum irreparabile. Qui in alta turre est constitutus, ut vigilet,

hostemque observet, si is dormiat, si negligens sit, si suum non adimpleat officium, nunquid potest esse causa perditionis, ac traditionis fortissimæ alicujus arcis ac munitio-
 nis, & integri populi ruinæ? Nunquid perditio, ac ever-
 sio Israelis à Deo apud Isaiam adscribitur negligentiae ac oscitantiae Sacerdotum? *cap. 56. v. 10. Speculatores caeci omnes.* Additque Propheta immediatè post unam aliam similitudinem, non minus huic nostræ materiae aptam ac accomodam: *Canes muti non valentes latrare, dormientes, & amantes somnia.* Si canes pastorales gregis custodiae destinati dormiant, aut sese blanditiis, aut ob bona pinguique frustra seu bolos sinant seduci, statim latrones furantur, lupi rapiunt ac vorant, totusque grex dispergitur: ita quoque contingit in ovili Christi; si enim Ecclesiastici se permittant trahi ac excæcari, à proprio interesse ac com-
 modo, si gratiam ac favorem Magnatum aucupent, si debitam intermittant correptionem, remediaque necessaria negligant, quibus excessibus ac abusibus obvietur; contra hujusmodi Episcopos, qui sese non opponunt malis suarum Diœcesium consuetudinibus, inveteratis malis, ac confusionibus, fortiter clamat concilium Meldense:
cap.

151

151

151

151

cap. 10. *Canes muti non valentes latrare, ne opponentes murum pro domo Israel, hac scientia silent, & surda aure pertranseunt. Sicut canes Prælati gregem debent custodire, est sententia Glossæ in præfata Isaia: verba. Sed demus exemplum aliquod oculare, in quo eluceant peccataque damna quæ ex peccato omissionis solent oriri, ut evitentur.*

Pessimè certe consequentiæ oriuntur, si Episcopus aliquis negligat disciplinam, exactamque legum & canonum observantiam, si deficiat in Cleri sui reformatione, in personali suæ Diœcesis visitatione, in bonorum, beneque meritorum remuneratione, in malorum, ac delinquentium castigatione, in progressu in virtutibus, in bonis moribus, in extirpandis abusibus, in procurando conveniente decore ac reverentia cultus divini, in succurrendo pauperibus, ac locorum piorum bona gubernatione: *Qui criminosos impunè patiuntur transire (est monitum S. Ennodii Opusc. 2.) ad crimina hortatur insontes. Qui statim permittit currere, quod currit, curretium auget numerum, facitque quod male viventium turba, bibat iniquitatem quasi aquam. Job. 15. vers. 16. Si is qui consecratus est, ac institutus, ut promoveat honorem*

Dei dissimulet abusus, scandala, concubina-
tus, lufores, prostibula, saltus, tripudia,
spectacula, seu comœdias lascivas, à Ter-
tulliano *de spect. cap. 17.* appellatas, *Consisto-
rium impudicitia, Veneris Sacrarium?* Quo-
modo absque manifesto æternæ animæ
suæ salutis periculo, omittere poterit, inno-
centium defensionem contra oppressiones ac
injurias potentum, tutelam pupillorum, pro-
tectionem viduarum desolataram, Ecclesia-
sticæ immunitatis mantenentiam; quomo-
do, dico, præterire aut continere poterit
zelum, contra irreverentias in loca sacra
commissas, aut ut publicas vindicet injurias,
& omnia reliqua, quæ in supremam suam
divinam Majestatem committuntur, desi-
gnantque scelera, licentiosi, perjuri, blasphe-
mi, sacrilegi, Simoniaci, usurarii, violenti
emunctores, & quidquid tandem est enor-
mum scelerum, aut gravissimorum excessu-
um? Cerrè Innocentius Tertius dum intel-
lexisset, Episcopum Petragoricensem, debi-
tam officii sui non habere curam, ut damna
præverteret, quæ Ecclesiæ illi possent obve-
nire ex illa negligentia, mandavit Archi-Epi-
scopo Turonensi, ut ex sua Apostolica ac su-
prema auctoritate, ipsū Episcopatu exautho-
raret, ac deponeret, scribens in hunc modū:

Præter

Præter multa gravia & enormia, quæ de ipso publicè dicebantur, usque adeo erat negligens, & inutilis circa officium Pastorale, ut non solum ad instar infœcunda ficulnea terram inutiliter occuparet, verum etiam ex ipsius defectu, gregi sibi commisso multiplex periculum immineret. Ex lib. 10. Reg. Innocent. tertii M. S.

Sed descendamus ad alteram omissionem, communem quidem enumeratis, inter illas tamen non specificatam. Hæc ommissio concernit superfluum illud ex redditibus nostris beneficialibus, quo, pro congruo, honestoque statu, ac alimentatione nostra non indigemus, ac in pauperes foret expendendum, quod adeo plurimorum conscientias percellere, ac aggravare deberet, ut S. Ambrosius de hoc ipso reatum sibi formaverit, furti, rapinæ, imo sacrilegii: *Si non pavisti, occidisti*, trita notaque est sententia. Ulcerius jam: Si quis se capacem, habilemque non reddat, ut fidei dogmata possit declarare, solvere quotidiana occurrentia dubia, discernere inter lepram & lepram, ut verbum Dei annuntiet, sacramenta æqualiter administret, imponendo cuiusvis pœnitentiam & satisfactionem, prout necessitas exigit, ipsiusque pœnitentis conditio ac status requirit, ut denique cuncta alia gradui suo convenientia

munia punctualiter obeat observetque; ex hisce tandem omnibus deduci potest, quanta sint damna quæ ex negligentia ac omissione possunt resultare.

Similiter, plane perniciofa est omnis negligentia, in catechisanda tenera ætate, siquidem: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*, æstimat enim magnus ille vitæ spiritualis Magister Joannes Cassianus *Collat. 26. cap. 18.* non minus esse homicidium, cæcum non abducere à loco aut rupe præcipite, unde cadere posset, quam illum ex eodem præcipitio detrudere; ideoque timendum est, ne rei aliquando habeamur pereuntium animarum, quas per securum verbi Dei conductum, ab æterno, infausstoque præcipitio illo liberare, ac eximere potuissemus, & fortè debuissemus: *Mundus à sanguine omnium eorum non esset* (inquit S. Gregorius *lib. I. in dist. 9. Ep. 33.*) *si eis Dei consilium annunciare potuisset, quia cum increpare delinquentes noluerit, eos procul dubio, Pastor tacendo occidit.* Mandat Deus Isaïæ, prout & modo facit sacerdotibus: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum*, huncque in finem de proventibus provisi sumus, ejusque ministerio consecrati, ut per opprobrium

brium ac vilipensionem nostram Illius zelum honorum, & per offensas, ac injurias perversorum, ipsius laudes deprædicaremus & encomia, & sicuti S. Athanasius Ep. ad Dracontium Episcopum: *Ex quo Episcopus factus es, populi expectant, ut cibum illis feras, ex doctrina scripturarum.*

Refert Matthæus Parisius, in Anglia fuisse duos Ecclesiasticos, sibi invicem adeo amicos, ac confidenter familiares, ut mutuo compromisso sese obligaverint, ut, qui ex ipsius primus morte interveniente commune vitæ humanæ persolveret debitum, alteri superstiti (si DEUS annueret) suum in æternitate, intra triginta dierum spatium, statutum revelaret. Stat ergo contractus hic, data fide confirmatus, dum ecce illorum unus, absque confessione moritur, vivo interea cum anxietate expectante, an pactis initis succederet promissus effectus. Elapso autem termino præscripto, hicque superstes desperaret jam de ullo nuntio, improvisò quodam die apparuit huic defunctus, igne flammisque totus circumdatus, ac involutus, aperuitque æternam suam damnationem, eo quod imperitens obiisset, & ut vivus hic experiretur nonnullas pœnarum acerbitates, intensissimosque

quos pateretur dolores, & ardores, unicam
sudoris sui, quo madebat, guttam manui
alterius instillavit, quæ statim, instar carbo-
nis ardentis, maximam impressit cicatri-
cem, cum salubri hac admonitione: *Hoc*
erit tibi quam diu vixeris, & poenarum
grande documentum, & nihil n. glexeris sa-
lutis tuae singulare remedium, quapropter
dum potes, muta animum, muta & ha-
bitum, quo possis iram effugere tui condi-
toris. Non volebat, aut non poterat ad
hac defuncto vivus verbum respondere,
cum ille severo versus hunc obtutu, dixit:
O te miserum! Si dubitas, aperi, & lege hæc,
quæ inibi scripta sunt, & cum dicto porrexit
alteri libellum, in quo igneis litteris hæc e-
rant exarata: *Satanas, & omne contuber-*
nium infernorum, omni Ecclesiastico statui
gratias emittit, quod in nullo suis voluptati-
bus desint, tantum numerum subditarum sibi
animarum sua incuria patiuntur ad infernum
descendere, quantum secula retro acta nun-
quã viderunt, hisq; peractis hic evanuit; alter
autẽ distributis bonis suis omnibus inter pau-
peres, perrexit ad sanctũ Melanũ, assumptoq;
religioso habitu, narrabat omnibus ea quæ
sibi acciderant, quæ viderat, quæq; audierat,
admonens quoq; singulos, ut caute caverent
pec-

peccata omissionis, quæ quantò minus curantur in hac vita, tantò severius plectuntur in altera, eòque gravior de illis est reddenda ratio.

Pro hisce omnibus optimè advertit, singulariterque monet S. Bonifacius Martyr, & Archi-Episcopus Moguntinus, *Epist. ad Cusbert. Archiep. Cant.* ut Ecclesiastici omni diligentia studeant probitati vitæ conjungere exercitium doctrinæ ac scientiæ, nec unum ab altero separent, ut peccata omissionis, quæ sæpius ex culpabili ignorantia proveniunt, cavere possint, ac vitare: *Horribilis & maxima necessitas cogit, ut juxta dictum Apostoli, nos formam debeamus exhibere fidelibus, hoc etiam, nisi me fallat opinio, ita justè vivere dicitur doctori, ne dicta sua repugnantibus factis evacuet, & nè, cum sibi de proprio cautè vivat, tamen alieno damnetur peccato.* Et deinde paulò inferius cum gravi minatur sententia, quod, *cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sanctè vivat, & tamen perditè viventes argueret, aut erubescat aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, peribit.* Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieni peccato? Curet ergo bonus Sacerdos, ut non incidat in tremendum hoc judicium, pietatem unire robori scientiæ ac Doctrinæ, re-

cordetur illius quod S. Hilarius scribit lib. 8. de Trinit. *Non statim boni atque utilis sacerdotis est, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo scienter predicare, cum innocens sibi tantum proficiat, nisi doctus sit, & doctus sine doctrina sit autoritate, nisi innocens sit.*

Pessimæ consequentiæ omissiones sunt, intermittere correctiones, aut reprehensiones debitas, tacere aut palliare veritatem ob respectum humanum, aut commodum temporale: propter quæ æterna laude dignissimus est Cardinalis Hugo ad S. Sabina, cui cum oblata esset ingens pecuniæ summa, ut in quodam negotio taceret, suumque non interponeret sentimentum, summa animi libertate, veroque digna Ecclesiastico, sprevit, rejecitque aurum, locutusque est ea, quæ erant de rei veritate, reflectens se fortè ad Sacerdotem æternum, qui stans coram Præsidente Romano, publicè protestatus fuit: *Ego in hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati, vel ad gravissimum illud Philonis axioma: Lib. de Ios. Emori præstat, quam loqui ad gratiam, dissimulata veritate, & utilitate neglecta.*

Omissiones quoque non parum damnosæ sunt charitati, dum pro bono Reipublicæ regimine, communique utilitate negligunt

Ec.

Ecclesiastici reconciliare discordes, suppressere odia, extinguere inimicitias, urgere ac promovere unionem, pacem ac quietem commissi sibi populi, dum in hisce omnibus eorū taciturnitas cooperetur domum subversioni, familiarum integritatem exterminationi, pacis publicæ, quietisque (quod principale status politici sustentaculum est) perturbationi, ex qua factiones oriuntur scissuræ, & rixæ: Meminisse enim debent Ecclesiastici, quod sint illi, de quibus scribit Sapiens: *Eccl. 44. Pacificantes in domibus* iisque à Canonibus præscriptum sit: *Dicit, D. 90. P. 1. cap. 7. Studendum est Episcopis, dissidentes fratres, sive Clericos, sive Laicos, ad pacem magis, quam ad iudicium conveniant; hoc ipso enim pax unioque conservatur, juxta sententiam S. Hormisdæ Papæ Tom. II. Conc. Totius bonitatis initium, quod nihil, quantum ad Catholicæ fidei cultum, quod diu, nihil æstimari potest excelsius; pro hoc scilicet facere, & cuncta sustinere conveniunt.* Ad exemplum egregii Ecclesiastici S. Fulgentii Episcopi Ruspensis, de quo acta ipsius dicunt: *sur. Tom. 1. Diuturnas finitimorum plerumque lites, & contentiones dirimebat, & iustitiam* Et Andrea Corfini Episcopi Fesulani, Cameracensis Ordinis præstantissimi germinis, qui

Pacis seminis precipuus seminator, bella interna, seditiones civium, & discordias plurimorum excirpabat. surius ibid.

Nolo hic mentionem facere, quam graviter apprehendi debeant tam frequentes omissiones incruenti missæ sacrificii, dum per illas Ecclesia privatur tam magno subsidio, totusq; Christianismus bonis innumerabilibus, quibus omnibus carere debet: sed quia de hac gravissima sumiq; momenti materia, ex proposito, ac diffusè discurrere intèdo, ad locum istum, quæ dicenda hic forent, reservo.

Quis nescit luciferi, eidemque adhærentium peccatum fuisse omissionis delictum, dum in illo instante Angelico, loco quod cooperarentur gratiæ, donisque excellentissimis, copiosè sibi ab Altissimo collatis, per actus amoris, obsequii ac gratitudinis, otiose se ipsos tam nobiles, tam præstantes contemplantur, ex quo tandem suo volebant coæquari, ac assimilari Creatori, intendebatque illorum caput ac Princeps Lucifer, sedere. *Sedebo.* Simile etiam accidit primis nostris parentibus in Paradiso, licet constituti essent in prima sua innocentia, simulq; armati justitia originali, quod non sine admiratione considerat Rupertus Abbas: *l. 2. de Trin. & op. ejus cap. 39. in Gen. Animadvertendum est,*
T quam

quam pertinaciter homo primus, homo ter-
 nus à Creatoris laude mutus perstitit, quam
 obstinatis labiis, ab omni gratiarum actione
 abstinuit. Accepto mandato circa pomum
 vidensque illud in manibus, imo faucibus
 Evæ, Ne contristaret delicias suas, licet esse
 subjecta ejus imperio, neglexit nihilominus
 ipsam reprehendere: Erat vir ejus, quando
 comedit de fructu illius arboris (scribit Caje-
 nus) & in hoc primum peccatum Adæ infirma-
 tur, negligentia scilicet cohibendi uxorem,
 comestione vetiti fructus: Qua propter solus
 cum ratione conclusit Abulensis: Quis
 cap. 13 Gen. Principium peccati primorum pa-
 rentum, fuit omissio, quia non cognoverunt
 quod cogitare debebant. Ceciderunt in erro-
 rem illum, licet fuissent innocentes, trans-
 fundentes tanquam hereditarium in poster-
 ros, maximè in Ecclesiasticos. Si illius lo-
 rent perfectionis homines, ut exactè cura-
 rent ea quæ salutem eorum spectant, hanc
 magnæ esset molestiæ, exiguique gravita-
 nis eas in saluum deducere, nec tamen ce-
 actè curæ animarum à Deo nobis tam an-
 comendatarum invigilare debemus: Per-
 de (irridendo tales Ecclesiasticos, dicit
 Gregorius Nazianzenus) atque ipsi sese
 item alios suæ curæ ac fidei commissos habent

Irrefragabile est axioma illud fundamentale
S. Athanasii: Ep. ad Dracont. *Id scire oportet, &
nequaquam ambigere, te priusquam ordina-
baris tibi videri, ordinatum autem illis vivere,
quibus ordinatus es.*

Pro confirmatione eorum quæ dixi, opti-
mè venit ad propositum id quod scripsit ma-
gnus ille Ecclesiasticus, & Purpuratus san-
ctus Ecclesiæ B. Petrus Damianus, Cinthio
urbis Romæ Governatori, homini valde
exemplari, vehementerque contemplationi
dedito lib. 8. Ep. 2. *Qui tanta dignitatis admi-
nistrus officium, formidabile valde est, si te
readas aliquando torpore desidia dissolutum.*
Verum, si erat tam fervens in oratione, quo-
modo à sancto Cardinale reprehenditur, qui
implet, tanquam genuinus S. Benedicti
filius, adeo contemplationi erat addictus?
Solvit ipse dubium in progressu epistolæ:
*Multas adversum te querelas audis ab his, qui
negotiorum causas habent, quia videlicet lega-
lis iudicii sanctionem, à te obtinere non præ-
valent; & paulò inferius monet ipsum: Ca-
ve ne propter peculiaris orationis studium, cui
insistere forte contendis, disciplinam tam innu-
merabilis populi, qui tibi commissus est, ne-
gligas, scriptum quippe est: qui conservat le-
gem, multiplicat orationem, & sacrificium sa-
lutare*

lutare attendere mandatis, justitiam ergo facere, quid est aliud quam orare? Gregorius Magnus, dum præesset manucele Petri, notavit in mystico illo Ezechielis curatypum Ecclesiæ militantis, ejusque ministrorum, ac facit reflexionem super illa verba: *Ezech. 1. vers. 8. Et manus hominum sub pennis eorum, in quatuor partibus: Manus hominis sub pennis, est virtus operis in volatu contemplationis. Hom. 3. ibid.* bene autem observandum est id, quod textus subjungit de illis pennis: *junctæque erant alterius ad alterum, ut insinuatetur facies ad alterum* (qualis erat Ezechiel, cui facta est visio) id quod postea scripsit ac ordinavit Petrus: *1. Petri 4. vers. 10. unusquisque suam accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores, multis gratia DEI.* Docet etiam S. Bernardus de modo bene vivendi Ser. 21. quomodo precac orationes nostras instituere, ac ordinare debeamus: *Necessè est nobis cor in oratione ad DEUM levare, & manus cum oratione ad Deum extendere; estque idem ac diceret, non sufficit illi, qui curam aliorum gerit, sibi ipsi vacare operibus piis ac sanctis & habere illam, abditam omnino, atque incultam sibi pietatem, prout eam reprobat*

nominat Nazianzenus, *orat. 23.* sed intentus debet esse, ac invigilare propriorum subditorum commodis. Narrat Cardinalis Bellarminus, de quodam Episcopo infirmo valde docto ac pio; quod cum ab aliquo Sacerdote Cardinalis amico visitaretur, illeq; à Prælato ægrotante sciscitaretur, num foret aliquid super quo conscientia ipsius foret inquietata, aut eum gravaret, respondit, quod per Deigratiã nihil memoriæ occurreret, unde gravaretur; statimq; repetit bonus ille Sacerdos, se quidem etiam non habere remorsum peccati commissionis, timere autem valde de omissionibus, idque ex eo quod sanctus Paulus tam instanter, tamque efficaciter mandasset ac inculcasset discipulo suo S. Timotheo caput 4. suæ secundæ epistolæ, omnem possibilem, accuratamque curam ac sollicitudinem, cum indefessa vigilantia circa ea quæ pastoralis muneris sunt, dicens: *Testificor coram DEO & Jesu Christo, qui judicaturus est vivos, & mortuos, per adventum, ipsius & regnum ejus, prædica verbum, instã opportunè, inopportunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina: hisce auditis, bonus Episcopus suspirando dixit: verissimè, me non mediocriter exterreret consideratio peccati*

T 3 omil.

omissionis. Tacere hic nequeo aliquid, materiae huic nostrae congruentissimum, quod de confessario quodam insigni narratur, qui dum excepisset confessionem Caroli Quinti Imperatoris, subjunxit; *segnar. in Confessar. instr. c. 7. Dixisti peccata Caroli, dicit nunc peccata Caesaris*; & non sine ratione requirebat computum ab illo, cui commendatus fuit medius ferme mundus, ideoque prout advertit magnus ille Orator Viera, omissio, aut neglectus alicujus magni Principis in extirpandis bannizatis, quanta inde damnata, quanta incommoda inde non obveniunt salutis publicae? Periclitatur vita, boni honor, ac respectus totius populi: si vero Ministri Ecclesiastici eo usque semel deventiant, ut omittant tollere scandala, emendare abusus, corrigere dissolutiones, praeterdamna temporalia inde emergentia, gravissima inde exoriuntur incommoda spiritualia, multo pejora illis aliis, dum & honor, & lex Dei conculcatur, ac è medio tollitur salus animarum. Nec valet illorum Ecclesiasticorum excusatio, qui per hoc se salvare putant, quod sibi substituant, pro habenda cura, ac negotiorum publicorum administratione viros expertos ac fideles; expressam enim contra

hoc à Deo factam habemus protestationem
apud Ezechielem: *1.3. v. 18. Impius in iniqui-
tate sua morietur, sanguinem autem ejus de
manu tua requiram.* Vobis confidit Deus,
& non ministris vestris, animas, proinde-
que etiam non ab his, sed à vobis, strictissi-
mam earundem requiret, exigetque ratio-
nem; illi enim qui substituti sunt, & à vobis
conducti, una vobiscum collaborare debe-
rent proximorum saluti, illi autem totum
onus portant, dum vos in delitiis ac otio se-
detis in splendore & honore, omnium mole-
stiarum ignari. S. Gregorius Papa, refle-
ctens se ad illa Apostoli verba, quæ de seipso
protulit, ac in actis Apostolicis registrata
reperiuntur: *Cap. 20. v. 27. Non enim subter-
fugi, quo minus annuntiarem omne consilium
Dei vobis. Attendite vobis & universo gre-
gi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos
regere Ecclesiam Dei, conversus ad Sacer-
dotes, exclamat Pontifex: Lib. I. Hom. II. in
Ezech. in qua voce nos convincimur, nos con-
stringimur, nos rei esse ostendimur, qui Sacer-
dotes vocamur, qui super ea mala, qua propria
habemus, alienas etiam mortes addimus, qui
tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie repi-
di, & tacentes videmus. Non suffragabi-
tur nobis in judicio illo extremo, rigidissimo,*

si

si

si

ac inappellabili, coram tremendo, æterno
 Judge, quod ignoraverimus culpas illas,
 aut excessus, quos merito reprehendere, ac
 emendare debuissimus, dum enim, prout
 alibi dictum est, constituti simus tanquam
 vigiles, ut attendamus, nobisque incumbat
 tota custodia, conservatio, ac salus popu-
 li, ignorantiam nullam prætere posse
 mus, quæ nos à culpa queat exculare: Hinc
 est, quod, non absque mysterio, sancta Ec-
 clesia, non pro altitudine, aut eminentia,
 sed pro sollicitudine ac vigilantia ordinave-
 rit, ut Episcopus federet in throno elevato, in
 signum non superioritatis aut autoritatis,
 sed majoris providentiæ, ac universalioris
 inspectionis: *Superinspector* (dicit S. Augu-
 stinus de dignit. sacerdot.) *maximè cum solus*
in Ecclesia editiore resideat, ut plebs sibi
commissa, non negligenter incumbat, sed
(scribit Durandus in Ration. divin. offic. lib. 2.
cap. 11.) vitam & mores eorum, & curam
diligenter prospiciat, quia ergo Episcopus spe-
culator est, ideo ex institutione Clementis
prima Cathedra sive locus ejus, in Ecclesia
tior est, ut superintendat; & populum conspiciat,
omnesque conspiciat. In eum enim fi-
nem provisi sunt de pinguibus proventibus
 à personis læcularibus, cum patrimoniorum
 suo

suorum extenuatione, ac quodammodo evisceratione fundatis, ut salutis suae spirituali suorumque aliorumque omnium omnium cura ac sedulitate invigilarent. Suggestit hic S. Bernardus, per opportunam suam doctrinam efficax aliquod medium, ad depellendam à nobis inertem illam socordiam, qua laboramus in excitando populo ad virtutum opera, ac Christianae perfectionis studia, vitiorumque grassantium extirpationem: *Eru- bescat anima minori affectu sectari justitiam, quam iniquitatem antea sectabatur; est enim causa valde dissimilis, stipendium quippe peccati mors, fructus autem spiritus vita aeterna.* Pudeat nos, inquit Sanctus, quod simus Argi, ac Briarei in commodo lucroque terreno, vel in ambitione, divitiis, deliciis, aut carnalibus voluptatibus, ex quibus inauspicatis floribus, non nisi aeternae damnationis maledictus maturescit fructus; & tam caeci, imo talpae sumus, ac vespertilioes, in juvando proximo, promovendo Dei cultu majoremque ipsius quaerendo gloriam, ex quo amoenissima nobis manet aeternae Beatitudinis merces, & corona.

Sed quis poterit comprehendere, multò minus sermone explicare, quanta Deus severitate castiget nostras illas omissiones? Corporalium Medicorum negligentiae ac

T 5

erro-

sepeliuntur, abscondunturque sub
 terra, & non præjudicant, aut nocent, nisi
 vitæ huic nostræ miseræ, ac mortali, que
 tamen tandem vi sua, suoque pondere erit
 collapsura; verum negligentia nostræ, no-
 stræ omissiones, per quas oblitus boni
 moribus, aut profectui salutis animarum,
 sæpiusque conducunt ad æternam mortem,
 atque ante faciem omnipotentis, severique
 Dei ac Judicis implacabilem contra nos
 postulant, clamantque vindictam. Irremis-
 sibilis quodammodo fuit culpa, & formida-
 bilis pœna, inflicta à Deo Heli, summo Sa-
 cerdoti: *Juravi domui Heli, quod non expi-
 tur iniquitas domus ejus victimis*: I. Reg. 14.
 Stirps ejus descendens in æternum privatus
 fuit summo Sacerdotio, eodemque tempore
 ipse & filii ejus morte repentina fuere mulcta-
 ti: *Quicumque audierit* (subjungit Deus, seve-
 ram illam detans pœnam) *tinnient ambra-
 res ejus*. Legatur Sacer textus, non reperit-
 tur Heli reus alicujus peccati commissionis,
 sed solum omissionis, eò quod neglexit
 cum majore severitate, debitoque zelo cor-
 rigere sacrilegos suos filios, qui Dei cultum
 profanabant: *Eò quòd* (dicit textus) *no-
 rit filios indignè agere, & non corripuerit eos*
 S. Isidorus Pelusiota lib. 2, Ep. 324. ex illo Apoc.

stoliloco; si quis suorum, & maxime dome-
 sticorum, curam non habet, est infideli dete-
 rior, hanc deducit consequentiam: Si quis
 necessariam alimoniam minime porrigit, cru-
 deliorem esse gentilibus pronuntiavit, qui quod
 majus est, & magis necessarium, id est anima
 curam aspernatur, quo tandem loco ponetur?
 Observat Augustinus, *Serm. 38. de sanc.* supre-
 mum aeternumque Judicem nostrum ad con-
 demnandū reos, non allegare peccata comis-
 sionis, sed omissionis tantum: *Esurivi, & non
 dedistis mihi &c.* Hinc attenditur (ait sanctus)
 quam spem habere possunt, qui mala faciunt,
 quando illi perituri sunt, qui bona non faciunt.
 Sub silentio transeo plura alia delicta enor-
 mia, quæ in formando processu contra pec-
 catum omissionis possent proferri, atque ex
 ipso tanquam fontali scaturienti ab origine,
 eo certe majori pœnâ ac castigatione di-
 gnum, quo minus curatur.

Non reperio in sacris litteris, Christum
 tam manifestè ac absq; glossa ullibi pronun-
 tiasse sententiam æternæ damnationis, quam
 in illos, qui in peccata incidunt omissionis:
 esse divitem, epulari splendidè, & vesti-
 ri purpura, optimisque indumentis, non est
 peccare mortaliter, sed dum dives ille omi-
 sit alere mendicum Lazarum de superfluis
 men-

mensæ suæ, de micis, quæ de illa cadebant, ideo, *sepultus est in inferno*. In cap. 25. Matthæi fulminatur contra quendam reum terribilis sententia: *Ejicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus &c.* sed in cujus, qualisve excelsus pœnam? Ergone rapinæ, homicidii, incestus, sacrilegii, aut similis cujusdam enormis criminis, reus est? Nullo modo; *serve male, & piger*, sed solum quia neglexerat negotiari, ac impendere talentum sibi commissum; utique sæpius sancta Ecclesia hac parabola ut moneat, & muniat nos Ecclesiasticos contra pigrum illud virus omissionis; *Hic magis signatur petitio rationis* (inquit Abulensis *Quest. 132.* in hoc proposito) *quantum ad illa, qua consistunt in omissione, quam quantum ad illa, qua fiunt in mala commissione*: Et pernitius inhærendo litteræ, illius parabola, perurum superius dixerat: *Modus occultandi talenti, est nihil operari, licet enim quis ingenium non implicet rebus transitoriis, tamen non adificat cum illo docendo, consulendo, exhortando, aut hujusmodi faciendo, sed scondit talentum in terra, & magna culpa reus est; quia per otium perdit facit donum DEI.* Quot animæ ingressæ fuissent rectam versus cœlum semitam, si Ecclesiastici solliciti fuissent in illarum conductu

si
 sua quæ talenta, scientiam, aliaque Dei natura-
 rumque dona impendissent in beneficium ac
 favorem populi, curæ ipsorum commissi, lo-
 co, quod vacassent aut inertio otio, quietique
 languidæ, seponendo, ac rejiciendo omnem
 curam salutis proximi, aut vixissent toti im-
 mersi, intentiq; propriis commodis, ac tem-
 poralibus transitoriisque emolumentis, sæ-
 pius etiam perdendo ac consumendo pro-
 prias facultates, corporis sanitatem, animæ-
 que salutem æternam.

Caput Decimum Quintum.

*Quæ cura, ac cautione debeant conversa-
 ri Ecclesiastici, semperque providere,
 ut in domibus suis habeant per-
 sonas virtuosas.*

Redemptor mundi Ecclesiæ suæ volens
 adumbrare structuram ac ædificium
 apud S. Joannem Evangelistam vineæ il-
 lam comparavit, quæ intus bene sit pro-
 visa cunctis necessariis ac utensilibus,
 exteriusque circumdata, ac munita bono
 sepimento, quo & ferarum incurfus, &
 latronum ac furum prædatrices arceantur